

*communicationem in Ecclesia primitiva usitatam abrogasse.*

§. I. Excidit ante aliquot annos JCto Lipsiensi nunc vita defuncto, pessima & in Ecclesiae perniciem tendens sententia in Tentam. *Germ. Juris Eccles. L. III. c. 6. & in Jurispr. priv. L. IX. c. 16. Excommunicationem majorem & minorem, imo universam Ecclesiae disciplinam esse a Deo non praeceptam, rationi contrariam, non necessariam, inutilem, imo occasionem & fulcrum Papatus.* Quam perversam satis opinionem, ut jam antea CHRIST. THOMASIVS in dem Recht Evangel. Fürsten in Theologischen Streitigkeiten th. 13. & in notis ad Hub. de Civit. ad L. I. Sect. 5. palam professus propugnauerat, ita per illum JCtum in ea confirmatus denuo repetiit imprimis in Notis ad Lancelotti Institutiones Juris Canonici P. IV. p. 2129. seq. cujus vestigia in his etiam alii nonnulli legunt. Sed satisfecerunt jamdudum eorum dubiis ex Theologis nostris NIEMEIERVS de Disciplina Ecclesiastica, D. BYDDEVS praefat. de instauranda disciplina Ecclesiastica praemissa Comenii Histor. Fratrum Bohemorum, aliorumque doctissimi labores, imprimis autem B. D. FECHTIVS de excommunicatione Ecclesiastica, cujus argumenta allatrare, sed non oppugnare Novatores potuerunt, ex JCtis autem BRUNNEMANNVS, ZIEGLERVS, PVFENDORFIVS, HVBERVS, STRYKIVS aliique, qui legitimum rei usum in Scripturis fundatum, sua necessitate, utilitate, minime destitutum agnoverunt, & ab hoc nefarium Pontificum abusum rite discernere voluerunt, quorum saniori sententiae, damnata priori, ipse deinceps re melius pensitata accedere maluit ante adductus JCtus Lipsiensis.

§. II. Hanc igitur disciplinam Ecclesiasticam, cum ipsa excommunicatione, cum majori, tum minori, a Luthero, primis Reformationis initiis aut fuisse imprudenter neglectam, aut plane sepultam, temerarie iterum judicant Fanatici.

Jam